meritas, furor aut audacia? sed illorum temeritatem consi=
lio, furorem fortitudine, audaciam virtute superasti.
quis ergo? an caecitas? Una caecitas hoc fecit, caecitas,
inquam, te panem mendicare coegit. nisi enim oculis
orbatus fuisses, hoc te facturum fuisse putabimus? mi=
nimè gentium. Graecorum Imperatorum more aliquandiu fuis=
ses dominum, aut te fecisses dominum. poteras exter=
nam sine miseriam tuam proprijs manibus aut alijs qui=
buscunque remedijs sublevare. poteras si non ut dux ac
multorum populorum domitore, ad minus ut gregarium mi=
litem te ventilare. poteras denique ad Parthos Persas
aut alias exteras nationes desciscere, ut saltem formi=
dabilis esses foris, qui domi felix esse nequisses. O
grande malum, o malum acerbum caecitatem! Cogitate
nunc si talia viri, quorum aulis ac palatijs principum
degebant, aut certè in magno apud populum honore fuerunt,
perpessi sunt, quanta non ij caeci perpetiantur ac sustin=
neant, qui communionis ac miserandae sortis sunt homines!
Taceo praeterea, caecos homines mortuorum instar ad o=
mnia gerenda inutiles atque inceptos esse. Nihil operar=
ri, nihil legere, nihil moliri, nulla aut Ecclesiastica aut